

Nolite rogo vos (inquit) mihi dare, multi invadeant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius quam centum jugera, que & meam animi equitatem, & vestram voluntatem indicent: nam parva munera diutina, locupletia, non propria esse consueverunt.

32 Simili moderatione usus videtur Pallas, Claudii Casaris ibertus, eique supra omnes dilectus & rei suae familiari praepositus, ut Tacitus memora. (l). Cui cum Senatus, Casari blandiens, ob singularem fidem & industriam, praeclearaque in Rempublicam merita, ornamenta praetoria, & sestertium centies quinquaginta praestari decrevisset, honorem accepit, pecuniam tamen, etiam ipso Cesare, & Senatu valde urgente, accipere recusavit, & id in monumento suo inscriptum reliquit, quod Plinius Junior (m) suo tempore in via Tiburtina repertum commemorat. Duabus tamen epistolis graviter stoliditatem, vel humilitatem Senatus, & Casaris dolens, & reprehendens quod cum servili & fastidioso mancipio nulliusque in Rempublicam meriti, pro deferendis ac cumulandis praemiis, & honoribus decertarent, quibus ornari veteres illi Scipiones, Marii, Sillae, Pompei, magni deducerent, quorum laudes, inspectis Senatus Consulti verbis, infra Pallantis laudes jacebunt.

33 Quas epistolas, lectu quidem, & memoria dignissimas judico, cum vel ex illis appareat, quibus fraudibus, quibus periculis, nimia aliquorum Administrorum elatio subiaceat; quae, etiam ubi dignis confertur, ita suspecta Aristoteli (n) fuit, ut quaestionem moveat, quid de eo statuendum, sit qui in aliqua Republica praereliquis, virtute, dignitate, opibus emineat, & de pluribus memoret, qui ubi Oligarchice, aut Democratice gubernabantur, ob hanc causam ostracismo (quod erat exilii genus) praestantiores nonnullos cives in exilium egerunt. Quod licet ipse tandem non probet in ejusmodi Rebus publicis, cum potius optimis legibus, & institutis temperatas ac stabilitas, deceat, cives virrute praestantes extollere, idque earum scopo, hoc est communi, & publico bono, convenientissimum existat: in Monarchiis tamen, & Regnis, ubi ex unius nutu, & arbitrio omnes subditi pendunt, attentorem curam desiderat, cum multi saepe reperti sint, qui Regum, vel aetate, vel facilitate abusi, se supra (n) eosdem extollere, & erigere audeant.

34 Quorum plura exempla passim Historiae recensent, & illustrius nullum est eo, quod de Rege Antiocho Magno Polibius (o) enarrat, Hermeam, quem vehementer ornavit; cum uxore, & liberis occidente, quod auctoritate, quam habebat nimis insolenter uteretur; cuius tamen vindicta, ceteros similia audentes comprimere poterit, & pariter nostri Emblematis monumentum. Nam etsi vallus supra vitem aliquando floreat ei tamen statim falx imminet, quae in ejus tendit excidium, frendetque quae fronduit, verum illud Q. Curtii (p) reddens: *Arbores magnas diu in crescere, una hora extirpari*; & simul ac cecidit, eundem carpendum omnibus exhibet, ut bene quidam alio (q) Emblemate, licet aliud agens, ostendit, sub arboris lapsae pictura, cujus ramos plures amotis falcibus scindunt, & his carminibus,

*Fit spodium quaecumque cadit; nemo unus honori  
Parcit; at obritam carpere nolle, probum est.  
Sic agitur; quisquis cadit & levis impete culpae,  
Illicet obloquii carpitur, ut cecidit.*



(k) Tacit. 1. 12. Annal.  
(l) Plin. Jun. lib. 7. epist. 29. & lib. 8. epist. 6. ad Motan.  
(m) Aristot. 3. pol. cap. 9. Filesac. dict. cap. 8. pag. 47.  
(n) Sup. Emb. 18.

(o) Polib. lib. 5.  
(p) Q. Curt. lib. 7. cap. 8.  
(q) Ant. à Burg. in Emb. de vitis lingua, 1. par. Emb. 37. pag. 81.

EM

QUI EMINENT, CADUNT



*Mensibus alternis vastissimus Ephialtes  
Crevit in immenso corpore semipede.  
Jam novus in terris nubes excedit Olympus.  
Sed perit hic, regio flammae fortè premit.  
Cui Fortuna favet, caveat se extollere in auras,  
Cum videat fluxu cuncta perire suo.*

COMMENTARIUS.

**I** Uemadmodum certum est, ab omni aeo Reges, & Principes Administris, seu Adminiculis usos fuisse, ut ex Paterculo (a), & aphis in superioribus (b) vidimus: ita pariter affirmare possumus, raro etiam omnibus retrò saeculis aliquos extitisse, qui ad summum favoris gratiaeque Principum ipsorum evecti, ocyus quam ascenderint, non descenderint, & in se, quam sit verum illud Lucani (c) effectum experti non sint,

*Summisque negation,  
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus.*

**2** Quod fatorum malignitati tribuere videtur ejusdem Lucani avus Seneca (d), iniquis: *Fati maligna perpetuaeque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem, quam ascenderunt relabantur.* Necnon & Tacitus (e), dum scripsit: *Fato potentiam raro sempiternam.* Et communi ipsius mortalium naturae legi, Thucydides (f), docens: *Natura comparatum est, ut nihil in ea perpetuum sit, & omnia quae crescunt, decrescant.*

**3** Quod etiam Syracides (g) censuit, dum monuit, *Alia generantur, & alia dejiciuntur: sic generatio carnis, & sanguinis alia finitur, & alia nascitur, &c.* Et Seneca (h), quatenus uno in loco ait: *Quod fortuito obvenit, instabile est: quo altius surrexerit, vergit pronius in occasum.* Et in aliis (i) *Mortale est omne mortalium bonum; Mortalia eminent, cadunt, deteruntur, crescunt exhauriantur, implentur, quicquid ad summam venit, ad exitum propè est: Sic ingenia, quo illustriora breviora sunt. Indicium est imminentis exitii, maturitas, & appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt.*

**4** Cujus doctrinae meminit itidem (k) in Octavia, quando inquit: *Quid me potens fortuna, fallaci mihi*

Vv2

Blan

(a) Patere. lib. 2.  
(b) Vide supr. Emblem. 54.  
(c) Luc. 1. Phaes.  
(d) Senec. in Prol. declam.  
(e) Tacit. 3. Annal.

(f) Thucyd. lib. 2.  
(g) Eccles. 14. 19.  
(h) Senec. de brevitat. vitae, cap. 17.  
(i) Idem epist. 67. 98. & de consol. ad Martiam. c. 23.  
(k) Senec. in Oct.



Blandita vultu, sorte contentum mea,  
Alte extulisti, gravius ut ruerem, edita  
Receptus arce, totque perciperem metus? &c.

Et rursus (l) in Troade,

Quoque fortuna altius  
Evexit ac levavit humanas opes,  
Hoc se magis suppressere felicem decet,  
Vanosque casus tremere.

Claudianus (m) inquit:

Magna repente rum t, summa cadent subito.

Et iterum (n) latius, & elegantius.

In brevibus nunquam se se probat Aeolus undis,  
Nec capit angustus Boreae certamina collis.  
Alpes ille quatit, Rodopaeque culmina quassat,  
Incumbit nunquam celestis flamma salido;  
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis,  
Ingentes quercus, amosas fulminat ornos.

Neque eam ignoravit Portius Latio, dum apud eundem Senecam (o), inquit: *Omnis fortunae blandientis speciosus cum periculo nitor, & sine causa saepe fluit, & sine ratione destituit.*

5 Quae loca, & plura alia, quae facile in eandem rem adduci, & expendi possent, Adagium locum fecere, *Summis negatum estare; Eminent, cadunt, Crescunt, deteruntur*; quae apud Erasmus (p) pluribus illustrata reperies, qui tamen celebrem illum Laberianum (q) Mimium, valde ad rem hanc conducentem, omisit,

Summam ad gradum cum claritatis veneris,  
Consistes aere, & cum ascendas decides;  
Cecidi ego, cadet qui sequitur.

6 Stulti igitur sunt, qui stabile esse censet, quod in lubrico situm est, & qui Aulæ auris, & rebus ex animi sententia fluentibus, ambitiosè, pleneque, ac planè excæcati, multa moliri & aggredi tentant, quae si tantillum dijudicarent, & supra dicta, ut oportebat, expenderent, ab iis agendis pertinacissimè abstinere deberent, ut bene Joannes Filesacus (r) animadvertit, illud Taciti (s) superioribus addens, *Nullam potentiam nimiam, unquam satis fidam fuisse.* Et Latini Patenti: *Fugitiva successuum repentiorum voluptas, ut accipit, sic relinquit.*

7 Nec desunt alii, qui hoc idem Consilium satis congruentibus similitudinibus, & Emblematis, eisdem Aulicis citò crescentibus, & fatalis decrementi, quod ipsos manet, oblitis, proponant, & suadere conentur. Ecce enim Plutarchus (t), betas, & cucurbitas adducit, quae quia citò crescunt, & in altum consurgunt, diuturna non sunt. Quod in reliquis aliis plantis, & animalibus commune esse, pluribus Camerarius (u) extendit.

8 Pierius Valerianus (x), & ex eo Florentius Schoonhivius (y) Crocodilum depingunt, qui ex ovo minimis initiis erumpens, citò magnum incrementum capit, & quandiu vivit crescit, ut Plinius (z) scribit, sic homines indicans, qui ex humili loco, ad summas dignitates emergunt. In eo tamen dissimilis, quod hi, ubi ad fastigia pervenerint, ad ima tendant. Unde Schoonhivius:

Quosquos ex humili salire cernes  
Ad fastigia dignitatis altae,  
Crocodilo habeas pares, ab ovo  
Qui crescit minimo, brevi stupendus,  
Parte hac dissimiles tamen vocabis,  
Quod hic perpetuò augeatur, illi  
In summo positi ruunt ad imum.

9 Melius adhuc Solon à nostro Tiraquelo (a) laudatus, qui eosdem Aulicos, qui apud Reges in pretio sunt, calculis similes esse dicebat, quibus in exponendis rationibus utimur; ut enim illi interdum majorem numerum, interdum minorem significant: ita & Reges, horumqueque, prout libitum fuerit, aliquando illustrem, & inclytum, aliquando obscurum habere, & ignobilem solent.

(l) Idem in Troad.

(m) Claud. de Sepulcris.

(n) Idem epigram. ad Hadr. vide Menchac. in praefat. contra illud. ex num. 99.

(o) Senec. 2. cont. 1.

(p) Erasm. in Adag. pag. 715. & seq.

(q) Laber. in Mimis.

(r) Filesac. 2. selectar. tract. 1. cap. 7. pag. 42.

(s) Tacit. 2. hist.

(t) Plutarch. in laconib. ubi agit de Theopompo.

(u) Camerar. 3. success. cap. 2. ex pag. 79. Pontan. in bellar. 2. tom.

(x) Pier. lib. 20. fol. 207.

(y) Schoonh. Emblem. 45. pag. 137.

(z) Plin. lib. 8. cap. 25.

(a) Tiraq. de Nobil. cap. 6. num. 2.

lent. Cujus, similitudinis meminit etiam Pater Nicolaus Causinus (b), nisi quod hic, non Soloni, sed Oronti eam attribuit.

10 Et in alio (c) Capite, idem fortè ipsum Reges olim Gothos ostendere voluisse inquit, dum, referente Olao (d), ab iis, quos in Aulicos eligebant, juramentum fidelitatis prius suscipiebant, strictum gladium, vel pugionem per cuspidem Principis manu eis præstando, sic indicantes, vel ipsa Principum dona lubrica esse, & periculosa, ut quæ adversum mucronem intentent accipienti.

11 Joannes etiam Filesacus (e), ex Apophthematis M. Antonini Imperatoris Philosophi, Aulam Principum, novercæ comparat, cujus nomen tragicum est, ut Ennodius (f) Ticinensis agebat; necnon & scenæ per similem facit, in qua omnia magnam partem ficta, & simulata, fides fluxa, & sublesta, amicitia vacillans & dubia, concordia fucata & tecta, & ita omnia parumdurantia, ut qui Imperatoris seu Regis personam sustinuerit, depositio cothurno, ubi ad statum redierit suum, extemplo miser appareat, repenteque exortus, repentino, quasi solstitialis herba, occidat, & illud Petronii (g), verum esse omninò demonstrat,

Grex agit in Scena Mimium. Pater ille vocatur,  
Filius hic, nomen dicitis ille tenet.  
Mox ubi ridendus inclusit pagina partes,  
Vera redit facies, dissimulata perit.

Nester, & nob ob id contemnendus D. Sebastianus Covarrubias (h) eandem doctrinam ostendere volens, & hos qui in aula & aura Principum evehuntur, casu ex ipsa elevatione damnari, aquilam pinxit, testudinem in athera unguibus efferentem, cum lemmate, *Ut lapsu graviore ruat*, & hoc carmine:

Ya cuidò la Tortuga que tenia  
Alas para volar, quando llevada  
En las uñas del Águila, subia  
Por la region del aire; i la cuitada  
Tiene en desprecio quanto abaxo via,  
Con un tan gran favor de si olvidada;  
I pensando en el Cielo ser estrella,  
La suelta sobre un risco, do se estrella.

12 Ego verò, hæc quidem adinventum collaudans, aliud, quod in præsentem Emblemate vides, non minus ad designandum nimis citò crescentes Aulicos, suaque proceritate tumentes, & fataliter eorum, ac facilem casum, conducere arbitror, ex Ephialtis nimirum fabula sumptum, qui, & Ottus ejus frater, ut Homerus (i) Apollodorus (k) Plutarchus (l), Hyginus (m), & alii fabulantur, Aloëi, & Iphimediæ filia Neptuni filii fuerunt, singulisque mensibus novem digitis, sive, ut alii tradunt, singulis annis latitudine cubitum, longitudine ulnam crescebant, & ubi nonum annum explevere, ita immania corpora adepti fuerunt, ut bellum Jovi inferre non erubuerint. Quin etiam Ephialtes, Junonem, autem, Dianam sibi conjugem deposcebant, Martemque in vincula Ottus conjecerunt montes ad hoc montibus subjungentes. Quousque, ut plures tradunt, fulmine de cælo icti, in inferosque demersit, superbiæ suæ poenas dederunt: vel ut alii, nimia sua proceritate nubes transgressi, aëra per liquidum evanuerunt, vel cælesti igni, cui jam proximi erant, consumpti sunt. Neque enim Philostrato (n) accedo, qui eos se se ad invicem propriis telis confixisse recenset, Dianæ astu, quæ in cerbam mutata per eorum medium exiit. Ad quam fabulam respexit Virgilius (o) cum Æneam inferos Manes percurrentem inducit, sic canens:

Hic & Aloidas geminos immania vidi  
Corpora, quæ manibus magnum conscendere cælum  
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.

Et iterum in Culice:

Nam victus sedet, immanis serpentibus Ottus  
Devinctus, mestum procul aspiciens Ephialtem.

Et Claudianus (p) his versibus:

Quid mirum si Regna labor immania vexat?  
Cum Gemini fratres, genuit quos asper Aloëus  
Martem subdiderint vinculis, & in astra negatas,

(b) Causin. in Polist. symb. lib. 4. cap. 41.

(c) Idem lib. 5. cap. 39. pag. 246.

(d) Olao lib. 8. cap. 7.

(e) Files. ubi sup. cap. 8. pag. 45. & seqq.

(f) Ennod. contror. 2.

(g) Petron. in carn.

(h) Covarrub. centur. 1. Emblem. 44.

(i) Homer. Illiad. 5.

(k) Apollodor. lib. 5.

(l) Plutarch. in lib. de exilio.

(m) Hygin. lib. 1.

(n) Philost. in heroic.

(o) Virg. 6. Æneid.

(p) Claudian. de bell. Gothic.



Tentarint movere vias, steter itque revulsis  
Penè tribus scopulis, caelesti machina celo.

Eademque occasionem præstitit Ammiano Marcellino (g), ut diceret: *Grandiaque incedens, tamquam Ottus & Ephyales*. Quod speciem habet Adagii, ut *Adrianus Junius (r)*, & *Cerda (s)* noster observant, in vecordes, & superbos homines usurpari solitum, qui majora viribus aggrediuntur, & debitas suæ temeritatis pœnas accipiunt.

13 Et ad rem ipsam, de qua agimus, eandem fabulam accommodans Petrus Matthæus (t) in una ex suis narrationibus, prudentissimè inquit, hinc commoneri posse tumidos Administros, qui nimis citò, properèque ac prosperè gratia suorum Regum elati, non solum suprâ ceteros Aulicos, ac Regni Proceres se se extollere volunt, verùm & ipsis Regibus, quibus parere deberent, bellum indicere, & quodammodo imperare conantur. Namque vel ipso suo timore rumpuntur, vel altitudine ignescunt, aut evanescent, neque minus citum, celeremque sibi occasum, ac decrementum parant, quàm in crescendo, & conscendendo felicitatem habuerunt.

14 Quod & ipsi Ethnici in eisdem Gigantibus, de quibus loqui cœpimus, insinuabant; nam relicta longiori disputatione, an Gigantes ullo tempore fuerint, vel esse poterint: de qua plures agunt, quos Ego aibi (u) latè congesi, illud planè constat, ipsos, quos veteres confinxerunt, tortuosis pedibus, & in draconum volumina desinentibus, formatos fuisse, ut sic intelligeremus, nihil eos rectum, aut sublime cogitasse, aut effecisse, cum detorti eorum pedes ad inferna demergantur, & simul ipsorum impietas, ac promptus & facilis casus denotaretur, ut post Vectium Prætextatum Macrobius animadvertit, & post Macrobius Petrus Crinitus (x), adjiciens ex Lampridio, hæc propter Commodum, eos ipsos homines, qui pedibus debiles forent, nec ambulare admodum possent, in Gigantum effigies formatos, sic, ut quasi dracones effingerent, deinde sagittis eosdem conficere solitum.

15 Et certè ita semper se res habuit, ut qui ex his Aulicis suaptè natura superbiunt, quò proprius cœlum gratiæ principalis attingunt, eò nocentiores suæ potentiæ influentias immittant, ut sub scorpionis signi figura noster nuper Saavedra Fajardus (y) benè commoovit. Idque ipsum efficiat, ut pronius ex sua altitudine prolabantur, quippè quia secundum Calcondylam (z): *Solet numerum plerumque fastuosos deprimere, & ad humilem fortunam dejicere*. Et secundum Plutarchum (a), *Ut deciduæ stellæ subitò extinguuntur, ita quos fortuna subitò in summa provenit, repente corruiere solent*. Unde meritò D. Prosper Aquitanicus (b) eos ridet, quibus

*Fœlices dicimus est, quos blanda Potestas*

*In summos apices tumidorum evexit honorum.*

Cum potius *miseri* appellari deberent, quippè quibus (ut jam in superioribus diximus) ab invidia, à calumnia, à Principum inconstantia, à magnis negotiis, quæ gerunt, quæ ut ex aliis tradit *Nevizanus (c)*, sine magnis periculis, & subditorum odio, & querelis fieri, & tractari impossibile est, & denique (ut hæc & alia multa deficerent) vel ab ipsa crescendi, & surgendi natura, decrescendi, & cadendi fatale periculum imminet.

17 Idemque ipsum admonuit Seneca (d), lubrica inde hæc Aularum culmina vocans.

*Stet quicumque volet potens*

*Aule culmine lubrico, &c.*

Et alibi (e) inquit: *Cubrici sunt humanorum gradus ascensuum, tremulus vertex, borrendum præcipitium, agrè conscenditur ad eminentem statum, ansie ibi consistitur, graviter inde, & repente descenditur ad eminentem statum, ansie ibi consistitur, graviter inde & repente descenditur: nam & sæpius ventis agitur ingens pinus, & celsæ graviore casu decidunt turres, quanto securior aurea fuerit mediocritas*. Cornelius Tacitus (f) *fluxa, & instabilia eadem appellans: Nihil rerum mortalium, tam instabile, & fluxum est, quàm potentia non suavi nixu*. Et iterum incerta & lubrica, *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus quis fuerit, tanto se magis in lubrico esse*. Et Sidonius Apollinaris (g) præcipitium etiam epiteton adens: *Sed sententiæ tali nunquam ego assentior, ut fortunatos putem, qui Reipub. præcipitibus, ac lubricis culminibus insistent. Nam dici non potest, quantum por boras fert in hac vita miseriarum, vita infelicitum istorum, &c.*

Ex

(g) Ammian. Marcell. lib. 22.

(r) Junius hodie inter Adagia Erasmi. pag. 668.

(s) Cerda ad Virg. sup.

(t) Petr. Matth. narrat. lib. 3.

(u) Ego de Indiar. jur. tom. 2. lib. 1. cap. 2. ex n. 11.

(x) Crinit. lib. 2. cap. 11.

(y) Saaved. Empr. 52. pag. 374.

(z) Calcondyl. lib. 1.

(a) Plutar. in Moral.

(b) D. Prosper. in lib. de provid. vide Sidonium & Saronem in ejus notis, lib. 2. epist. 13.

(c) Nevizan. in Sylva nupt. lib. 4. pag. 396. num. 155.

(d) Senec. in Ther.

(e) Senec. post Horat. lib. 2. carm. ed. 10. ubi vide Chabotium.

(f) Tacit. 1. & 13. Annal.

(g) Sidon. lib. 2. epist. 13.

18 Ex quorum, & aliorum doctrina Justus Lipsius (b), causas, quas pupugimus, hujus instabilitatis recensens, sic exorditur, *O Boni, lubrica vestra vita, & via est, qui in Aula versamini: in qua, ut verè vir Sanctus dixit Perpericula pervenitur ad grandius periculum*.

19 Et hanc esse veluti priorem, potiorem, & certiorè Aularum, & Aulicorum conditionem, ac plagam, inter plurimas alias, quæ de eis latissimè Joannes Sarisberiensis (i), Simon Majolus (k) Aulæ Tyrocinium, Achilles Bochius (l), omninò legendus, & Canonherius (m) recensent, satis ostendit Lucianus (n), sequentibus his coloribus illas rectè depingens: *Vestibulum sublime, & inauratum, abruptum, lubricum, ita ut plerumque, qui se ad summum pervenisse putant, præcipites, cervice fracta, dejiciantur*. *Intus opulentiæ ostentatio, spes fallax, ambitio, æmulatio, invidia, detrectatio, fumus, adulatorum multæ manus, pauca corda, crapula, luxus, corruptiones, avaritia, eaque omnia speciosis fucis teguntur*. Denique, *ut paucis dicam, Aulica vita, splendida est miseria*.

20 Et exemplo suo variis temporibus, & sub variis omnium Nationum Principibus (o), satis manifestarunt Amanus, Hermeas, Parmenio, Philotas, Sejanus, Narcissus, Tigellinus, Pernenis, Cleander, Plautianus, Thurinus, Rufinus, Ablabius, Eutropius, Stilico, Narses, Belesarius, Aëtius, Boëtius, Symmachus, Thomas Bolseus, Thomas Morus, Abrahamus, & innumeri alii, qui non solum ex supremæ gratiæ Principum suorum culminibus exciderunt, verùm variis supplicii affecti, strage & exitio suo, splendenti, quæ eis imposuit felicitati, proprio sanguine litaverunt, ut *latius Joannes Boccacius (p)*, *Philippus Camerarius (q)*, *Ennebelius (r)*, *Canonherius (s)*, *Nevizanus (t)*, *Bessoldus (u)*, & alii plures Auctores (x) passim commemorant. Bironium etiam Ducem, Ancræum, Buqingamum, Waldestennium, sive Freislandum, & alios adjicientes, quorum recentior est memoria, quàm ut possit inter oblitterata nasci.

21 Prout neque apud Nos D. Ruderici Lopez Davalos, Castellæ Comestabilis, sub D. Rege Henrico III. post fidelem, & strenuum ei navatam operam, miserabilis lapsus. Et miserabilior, totique orbi valdè notus & decanatus; D. Alvari de Luna, qui eidem Ruderico apud D. Joannem II. Henrici filium in onere & honore successit, & tandem, *ut nostri (y) & exteri (z) Scriptorum recensent, & lamentantur*, ab eodem Rege, cui ita acceptus & charus per tot annos extiterat, & ignaviter, ac fideliter inservierat, ob vanas fortè magis quàm veras populi voces, & aliorum Aulicorum invidiam, Pintia plecti capite jussus fuit.

22 Quam historia, præter alios, enarrans Ferdinandus Gomez de Ciudad Real (a), ejusdem Regis Archiatrus, inquit, Alvaro extincto, Regis gratiam occupasse, D. Joannem Alfonsum de Robles, qui tamen paulò post, eisdem calumniis impetitus, ab ea quoque excedit, & in carcerem conjectus fuit, & hæc notatu digna verba subjungit: *Este gran Mar del valer, è privar, è malas querencias, que mas ampio es que el de Finis terræ, no puede estar sin motu. Porende atiendan los sublimados, qual serà el tercero cuerpo que lanzarà de sí, despues del Condestable, è Juan Alonso*.

23 Quibus quidem verbis, dum mari, marisque fluctibus, inconstantiam gratiæ Principum comparat, Plinium Juniores (b) imitari videtur, qui de eadem agens, sic dixit: *Quod tam infidum mare, quàm blanditiæ Principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos quàm propitios habere*.

24 Unde & Ausonio (c), quem in hoc Filesacus (d) adducit, satis audeat istud excidit,

*Et semper sicke Principum amicitia.*

Michaelque Hospitalis (e), benè in aulicis rebus edoctus, exempla aliquorum, quos in Francia excidisse viderat, memorans, sic suum clausit Poëma,

*Tam favor, & studium populi, tam gratia Regum*

*Mobilis & fluxa est: tam lubricus omnis honorum,*

*Est Gradus, & comitem secum trahit ille ruinam.*

25 Et Modernus quidam (f), latius idem argumentum persequens, inquit: *Nihil rerum mortalium, tam instabile, ac fluxum est, quàm alieno quod beneficio tenes. Magna mobilitate sunt animi*

(b) Lips. lib. 3. polit. cap. fin. D. August. 8. Confess. cap. 6.

(i) Sarisber. in Policr. lib. 1. cap. 1. & seq.

(k) Majol. in colloq. de aula & caula.

(l) Bochius symbol. 124. pag. 263.

(m) Canonher. ex multis tom. 1. Aph. pag. 853. & seqq.

(n) Lucian. & ex eo.

(o) Camer. 3. tom. subces. cap. 91. pag. 343. & seq. ubi etiam ex Busbequio alia adducit, de aula pictura, & periculis.

(p) Bocac. de Princip. Lapr.

(q) Camer. 3. subces. cap. 56. & 57. ubi refert var. casus ex Capellonio.

(r) Enechel. in Sejano.

(s) Canonher. in Aphor. pol. pag. 575.

(t) Nevizan. in sylv. nupt. pag. 356.

(u) Bessol. in Synop. polit. lib. 2. cap. 8. n. 7.

(x) Majol. in colloq. de aula.

(y) Saaved. Empr. 50. pag. 343. Cespedes in Phil. 4.

(z) Bochius symbol. 124. pag. 263.

(a) Chron. Joann. II. ejusdem Alvari, Mariana lib. 22. cap. 12. & 13.

(b) Lambert. in Theat. Reg. Hisp. pag. 80. Theat. vite hum. lit. F. pag. 234. En. Sylv. in Europ. cap. 47.

(c) Ferdin. Gom. epist. 14.

(d) Plin. in Paneg.

(e) Anson. edyl. 3.

(f) Filesac. d. cap. 8. pag. 47.

(g) Hosp. in carm. ad amicos, in princ.

(h) Joan. Schil. in exercic. ad Tacit. pag. 107.



mi Regnantium: tollunt in altum, & prope ex æquo dignationem suam partiuntur: At ubi res postulat, subinde ad se se redeunt, & non jam alterius rebus consulunt, sed suam ipsi fortunam in consilio habent. Ubi impares se se publicis odiis conspiciantur, perire satius ducunt Administros suos, ac veluti succidaneas victimas ad exitium dedi, quam at amittenda periculo dominationis agitentur. Hinc quos ad summa favor aule protulerat, qui diu membra, ac partes alienæ potentie fuerant, eorum gratia viguit, auctoritas floruit; donec intra modum steteret, id est in publicum minus injuriosi, minusque ingrati existerent. Quod si inflatam, & ex subita felicitate suspiciosam arrogantiam reprimere nesciverunt, vel illi ipsi, qui produxerat eos, penas pependerunt, vel successorum ultioni relicti, ac reservati fuerunt.

26 Hincque venustissime Apelles, à Lilio Giraldo (g), & Causino (h) valde laudatus Favorem Aulicum à fortuna discriminatum, his coloribus pinxit:

Pictor Appellæa qui pingis ab arte Favorem,  
Unde illi generis semina, nota parum?  
Hic genitum Forma, Fortune hic dicit alumnum,  
Casu ille, ille animi dotibus esse satum,  
Qui Comes assiduus lateri? Assentatio. Et ecquæ  
Ponè subit lentis pasibus? Invidia.  
Ecqui circumstant? Opulentia, Fastus, Honores.  
Leges, & scelerum sæpè Libido parens.  
Cur facis aligerum? fortunæ elatus ab aura  
Ad volat alta, imo nescius esse gradu.  
Quare oculis captum pingis? non novit amicos  
Improbis ex humili cum petit alta loco:  
Quid rotule insistit? Fortunam imitatur, & infert  
Se socium, instabiles quæ tulit illa pedes.  
Cur timet, atque extra se se ambitiosius effert?  
Occidere animos fata secunda solent.

27 In tali igitur ac tanta Aulæ inconstantia, rerumque sursum ac deorsum euntium versatione, vel lapsus timeat, quisquis se in altum extolli videt, aut ambit, ut sic vires illius aliquatenus frangat,

Nam minus ferit, quicquid prævideris ante.

Vel Laberianum Mimum, summè à Seneca (i) laudatum, quamvis è populo esset, edoctus,

Cui vis potest accidere, quod cuiquam potest.

Tot aliorum exemplis expergefactus, suo capiti consulat, &, ut cum Claudiano (k) loquar, in simili Ruffini casu verè & graviter perorante,

Desinat elatis quisquam confidere rebus,  
Instabilesque Deos, & lubrica nunina discat,  
Illo manus, quæ sceptris sibi gestanda parabat,  
Cujus se toties submitit ad oscula supplex  
Nobilitas, inhumata diu, miseroque revulsa  
Corpore, feralem quæstum post fata poposcit.  
Aspiciat, ne quis nimium sublata secundis  
Colla gerat, tribus calcandus spargitur ecce,  
Qui sibi Pyramides, qui non cedentia templis  
Ornatu sua struxerat culmina manes.  
Et qui Sydonio velari credidit ostro,  
Nudus pascit aves: jacet en, qui possidet orbem,  
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro  
Per partes tegitur, nusquam, totiesque sepultus.

28 Præsertim cum juxta Boëtii (l) Severini sententiam: Felicissimi cuiusque delicatissimus sensus sit, nullusque tam compositæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate risetur. Quod ipsius præcipitium magis accelerat: necnon illud, quod aptissime Quintilianus (m) considerat: Iniquissimam scilicet magnorum meritorum conditionem esse, cum si quicquid non fuerit adjectum, de prioribus pereat, & pessimo exemplo, gratiam præteritis auferant reliqua, quæ cessare contigerit. Et Tacitus (n) dum docuit: Arduum valde & subjectum Fortunæ esse onus cuncta

(g) Lil. Giraldo. de Dite Gent. syntagm. 1.  
(h) Caus. in polis. symb. lib. 2. cap. 25.  
(i) Senec. de cons. ad Mart. cap. 9. in fin.  
(k) Claud. lib. 2. in Ruff.

(l) Boet. cont. 2. pror. 4.  
(m) Quintil. in declam.  
(n) Tacit. 1. Annal.

regendi; quod hi, de quibus agimus Administri, subire solent, non prius, juxta Horatii (o), aliud agentis monumentum, tentantes,

Quid ferre recusent.

Quid valeant honeri.

29 Quapropter Seneca (p) ad Lucillum scribens, meritò dixit: Magnam potentiam ambit in expers; sed odit expertus. Et Alter (q): Magna res magnis abstinuisse fuit. Eorumque, & aliorum doctrinis hærentes Gaspar Ensl (r), & Joannes Filesacus (s), ceterique Politici, iis, qui tam altè provehuntur, communiter consulunt, ut Fortuna sua non modestè tantum utantur, sed etiam ubi impares se viderint, invidiæ se maturè subducant, ne tandem à summis honoribus, ad extrema dedecora deturbentur, ut multis, tam in superiori, quam in nostra ætate contigisse videmus.

30 Quod ipse idem Seneca (t) propè divinè, ut Filesacus ait, multos ex eisdem Aulicis exoptare solere, inquit, licet pauci sint, qui illud opere compleant. Ejus verba sunt hæc: Potentissimis, & in altum sublatis hominibus excidere, voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis præferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tutò liceat, descendere. Nam ut nihil extra lacessat, aut quatit, in se ipsa Fortuna ruit.

31 Quibus tamen, si satis mentis ratio constaret, nihil obstare deberet, ut agnoscerent, melius sibi consultum, si nec nihil esse vellent, nec omnia, & aurea vitæ mediocritate contenti, Ovidii (u) monitum sequerentur,

Usibus edocto, si quicquam credis amico

Vive tibi, & longè nomina magna fuge,

Tu quoque formida nimium sublimitia semper.

Aut ipsius Senecæ (x) Tragici, qui post illa carmina, quæ supra ex ejus Octavia retulimus, sentiens fortè se ipsum Neronis compedibus, negotiisque aulicis præpeditum, hæc subdidit,

Melius latebam procul ab invidiæ malis,

Ubi liber animus, & sui juris mihi

Remotus inter Corsici rupes maris,

Semper vacabat studia recolenti mea.

32 Quibus plura alia adjungere possem, quæ de laudibus, & commodis vitæ privatæ, & & solitariæ D. Nazianzenus, Petrarcha, Palititanus, Nat. Comes, Just. Lipsius (y), Heresbachius, Majol. Camerar. Filesacus, Barberinus, & alii passim Auctores comminiscuntur, quos supra alio loco (z) recensui, ultra quos Plinius Junior in Panegyrico, inter sui Trajani laudes illam commendat, quod felici ejus tempore, non esset jam consideratus & sapiens, qui ætatem in tenebris agit. Quo loci Justus Lipsius, alium Senecæ (a), de Vatia, qui sub improbis Principibus latere scivit, adducit. Etenim Ob hoc unum (inquit) felix habebatur. Nam quoties aliquos Asinii Galli amicitia, aut Sejani odium, deinde amor, mererant; exclamabant omnes, d' Vatia, solus scis vivere.

Extat etiam inter Epigrammata Claudiani (b), celebre illud Senis Veronensis, qui parvo rure contentus, numquam proximam urbem intraverat, quod dignum censeo, ut huic commentationi colophonem imponat:

Felix qui propriis avum transigit in arvis  
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem:  
Qui baculo nitens, in qua reptat vit arena,  
Unius numerat secula longa casa.  
Illum non vario traxit Fortuna tumultu,  
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.  
Non freta mercator timuit, non classica miles:  
Non rauci lites pertulit ille fori.  
Indocilis verum, vicinæ nescius urbis,  
Aspectu fruitor liberiore poli.  
Frugibus alternis, non Consule computat annum:  
Autumnum pomis, ver sibi flore notat, &c.  
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,  
Benacumque putat litora rubra lacum,  
Sed tamen indomita vires, firmisque lacertis  
Ætas robustum tertia novit avum.  
Erret, & extremos alter scrutetur Iberos,  
Plus habet hic vitæ, plus habet ille vitæ.

Xx

EM.

(o) Horat. in Arte.

(p) Senec. ad Lucillum.

(q) Albinob. de obit. Mæcen.

(r) Ensl. de Consil. & Consiliar.

(s) Filesac. ubi supr. cap. 7. pag. 43.

(t) Senec. de brev. vit. cap. 4.

(u) Ovid. 3. de tristit. eleg. 4.

(x) Senec. in Octav.

(y) Lypps. lectu dignus in Musis erratibus, pag. 68. & seqq.

(z) Sup. Embl. 19. in fin.


(a) Senec. epist. 55.

(b) Claudian. epig. 6. quod valde laudat Moretus lib. 17.

var. cap. 8.



EMBLEMA LVIII.  
REGUM CALOR QUOMODO SUSCIPIENDUS.



Ergo recede parum, nam proximus ignis adurit;  
Si procul abscedas haud calor ullus adest.  
Est ignis Princeps, urit, si proximus audes,  
Frigebisque procul, cautus utrumque cave.

## COMMENTARIUS.

**1** Uæ de Primorum Administrorum casibus & periculis in præcedentibus exposimus, postulare videntur, ut paucis eosdem ne nimis excelsa hæc culmina ambient, si stabiles & securi degere velint, commoneamus: sed mediocri fortuna in aula & aura Principum, quibus inserviunt, potiri contenti, sic illorum lucem, ac calorem suscipiant, & suspiciant, ut Lunæ instar, quicquid gloriæ & claritatis habuerint, illis tamquam Soli refundant; neque, ut Tacitus alibi (a) dixit: *Ad famam suam gestis exultent, sed ad auctorem & ducem, ut Ministri, fortunam referant.*

**2** Veteranique illius consilium sequantur, qui, ut Seneca (b) refert, interrogatus: *Quomodo rarissimam rem in aula, SENECTUTEM, consequutus fuisset? Injurias ferendo, & gratias agendo, respondit.* Quibus si, ut jam dixi, animi moderationem, atque in æquales comitatem, in populares benignitatem, addere studuerint, forsitan in adepta felicitate durabunt.

**3** Aliàs, ut cordatissimè idem Seneca (c) monuit, *Cum omnia caverint, per ornamenta sua ferentur.* Et sui capitis discrimine agnoscent, quam verè dixerit Apulejus (d): *Ingentia gubernacula, facilius mergunt, quàm regunt.* Eoque sibi majus periculum, quò altius emergerint, imminere, ut etiam ex superioribus patet, & monuit Ovidius (e), dum inquit:

Livor summa petit, perflant altissima venti:  
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

(a) Tacit. in Agric. vide simile consilium apud Joann. Laurent. in Polian. verb. Resp. col. 2407.

(b) Senec. lib. 1. de ira.

(c) Senec. in Pref. lib. 4. nat. quæst.

(d) Apul. Apol. 2.

(e) Ovid. de remed. amand. lib. 1. & 2. Metam.

Lu-

Lucretius (f):

Ataque cur plerumque petit loca, plurimaque plus  
Montibus in somnis vestigia cernimus ignis.

Horatius (g):

Sæpius ventis agitatur ingens  
Pinus, & celsæ graviora casu  
Decidunt turres, feriuntque summos  
Fulmina montes.

Et Michael Verinus (h) ad rem nostram magis accedens,

Quò magis est abies procera, evertitur Earis:  
Culmina, non valles, fulmina torta petunt.  
Quò major circis, major solet esse ruina,  
Magnaque livorem gloria sæpè parit.

**4** Indeqe Veteres, ob hoc ipsum periculum, quod iis imminet, qui immediatè cum Regibus, ac Principibus conversantur, quorum gratia ingrattissima, infida, & parum stabilis, ut vidimus esse solet, Adagio locum fecerunt: *Proximus Jovi, proximus fulmini, vel Procul à Jove, procul à fulmine,* quo, ut post Diogenianum, tradit Erasmus (i) significarunt, non esse ambiendum, neque appetendum Præpotentium commercium, quibus quod libuit licet, quique vel solo nutu eos, quos extulerunt, deprimere possunt, & solent, & illud Plutarchi (k) verum efficere, quòd quemadmodum in vulnere prius apparet sanguis, quàm plaga, & quemadmodum prius emicat fulgur, quàm trinitus audiat: ita apud Principes ferme omneis, prius erumpit condemnatio, quàm probatio, & periit Delatus, prius quàm coarguatur.

**5** Cui Adagio simile est illud aliud à Suida (l) relatum, *Majorem vitato virum.* Et ad utrumque respexisse videtur Ovidius, dum dixit (m):

Vive tibi, quantumque potes prælustria vita,  
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.  
Nam quamquam soli possunt prodesse Potentes,  
Non prosunt, potius plurimum obesse solent.

Et alius, quisquis sit Veterum, in Catalectis,

Vive, & amicitias Regum fuge, pauca monebas,  
Maximus hic scopulus, non tamen unus erat:  
Vive, & amicitias nimio splendore nitentes,  
Et quicquid colitur perspicuum fugito.  
In gentes Dominos, & fame nomina clara,  
Illustrique graves nobilitate domos  
Devita, ex alto magna ruina venit.

**6** Et his, ut apparet, vestigiis insistens, licet nihil horum alleget, Noster sæpè laudatus, D. Didacus (n) Saavedra, symbolum quærere volens, quo Aulicos, de quibus agimus, imminetium sibi discriminum admoneret, nullum aptius invenit, quàm Montis, sua summitate cælum veluti pertingentis, cui desuper fulmen minatur, cum hoc lemmate, *Jovi & fulmini,* in cujus expositione eruditissimè quidem, & prudentissimè in illis admonendis, instruendisque versatur.

**7** Unde & necis Julii Cæsaris præsigium fuit fulmen, quod paulo ante, ejus statuum contrivit, & D. Alvari à Luna, de quo supra loquuti sumus, aliud, teste Gomez de Ciudad-Real (o), quo magnificentum & opulentum, quod Ascalonæ habebat Palatium, ita conflagravit, ut per tres integros dies ab octingentis hominibus extingui non poterit.

**8** Nec deest alter Emblematicus (p), qui id ipsum ostendere voluit, ferocientem sonipodem pingens, cujus prolixam caudam homo humi tollere curat, & pro præmio, gravi calcis ictu percuitur, ad fabulam nimirum Esopi de hoc agentem alludens, quam sub Epigraphe, *Abstinentium à potentioribus,* his versibus explicat,

Conqueritur sonipes longæ de pondere caudæ,  
Utque leveat quercis voce precante rogat.

X 2

Dum

(f) Lucret. lib. 6.

(g) Horat. lib. 2. od. 1.

(h) Verin. in Distich.

(i) Erasm. in Adag. pag. mibi 631.

(k) Plutarc. in Moral.

(l) Suid. apud Erasm. sup.

(m) Ovid. 3. trist. eleg. 4.

(n) Saavedr. Emp. 50. ex pag. 342.

(o) Fern. Gom. de Ciudad-Real in epist.

(p) Schoonh. Embl. 58. pag. 171.



Dum rudis hanc tollit, ferratis calcibus iēus  
 Concidit, & pretium triste laboris habet.  
 In Magnis non tuta fides, prælustria vites,  
 Vire tibi, & paribus jungere te studeas;  
 Nam miserum est tali socio se jungere, de quo,  
 Si noceat, nunquam sit tibi posse queri.

Et iterum (q), pingens hominem ex proceræ admodum arboris summitate cadentem, cum lem-  
 mate, Medio tutissimus ibis, & his carminibus,

In medio fueram tutus, dum scandere summa  
 Nitior, in adversum culmine dejicior.

9 His antiquior Ovidius, aliud quoque, nec minus aptum, nobis Emblema exhibet, Dædalum  
 simul, & Icarum eleganter describens, quorum uterque alienis quidem, hoc est mutuatis è cera alis,  
 per aëra volare cœpit. At ille, quia se in medio continuit, salvus evasit: hic verò, quia superbè in  
 altum conscendere, & Solem ipsum contingere voluit, liquatis ejusdem ardore pennis, miserabiliter  
 occidit, Icarique mari corpus nomenque reliquit. Ovidii carmina (r) hæc sunt, post alia quibus exac-  
 tè hanc fabulam enarravit,

Quid fuit, ut tutas agitare Dædalus alas?  
 Icarus immensas nomine signet aquas?  
 Nempe quòd hic altè, demissius ille volabat,  
 Nam pennis ambo non habuere suas.  
 Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit, & intra  
 Fortunam debet quisque manere suam.

10 Est quippè superbia vitium, quod quò se erigit magis, eò sibi majorem lapsum disponit, ut  
 his Hugonis (s) verbis manifestatur: Cetera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur,  
 ut luxuria pudicitiam: sola verò superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi genera-  
 lis pestifer morbus omnes corrumpit, &c.

11 Doctissimus etiam, & Religiosissimus Pater Martinus Delrius (t) alio simili utitur, à pirastis,  
 sive papilionibus sumpto, qui igni ad eò accedere gestiunt, ut ipsius ardore imprudentis ambitionis  
 pœnas accipiant: non secus atque Aulici isti, ad vanum hunc fulgorem favoris humani advolantes,  
 & se spontè excæcantes, ut Democritus ille Philosophus, qui teste apud Agellium (u) Laberio,

Clypeum  
 Constituit contra exortum Hyperionis, oculos  
 Effodere ut posset splendore aëro, ita radiis  
 Solis aciem effodit hominis, malis benè  
 Esse ne videret circibus.

12 Nos autem in presentia, quod vides, Emblemate, æstuantis camini comparatione, & imagi-  
 ne utimur, cui, qui propius accedit, comburitur, qui nimis procul existit, calefactionis commodis car-  
 ret, qui verò se in mediocritate constituit, illis salubriter gaudet ac fruitur. Qua usum olim reperio  
 ad hoc idem significandum Antisthenem, vel ut alii tradunt, Diogenem, qui, ut Stobæus (x), & alii  
 (y) enarrant, interrogati, quomodo quis cum Potentioribus sublimioribusque Principibus se habere  
 deberet? Perinde atque igni illis utendum responderunt, non nimum propè, ne comburamur: neque ni-  
 mium procul, ne frigeamus, & non calefiamus.

13 Et licet posthæc scripta invenerim D. Sebast. à Covarrubias (z) hoc eodem Emblemate usum,  
 cum titulo, Nec prope, nec longius; illud tamen aliorum detorquet, nimirum, ne viri cum fœminis ni-  
 mis propè, vel longè nimis agant, & conversentur, quod quàm sit alienum ab Antisthenis instituto,  
 cujus nunc Nos vestigiis hæremus, nemo non videt. Magisque ad illud accedere videtur Jacobus à  
 Bruck (a), qui canem depingens, flammam, ad quas proximè accesserat, veluti ore vorantem, hæc  
 carmina subdidit:

Ne accedas propius, qui blandis utere verbis,  
 Cum splendet Domini gratia larga tui.

(q) Idem Schoonh. Embl. 12.

(r) Ovid. 3. trist. eleg. 4.

(s) Hugo lib. 2. de anima.

(t) Mart. Delr. in Adag. sacr. 2. tom. pag. 500.

(u) Agell. lib. 10. cap. 17.

(x) Stob. serm. 43.

(y) Ant. in Melissa, part. 2. serm. 1. Lycosth. in Apoph.  
 pag. mibi 695. Delr. ubi sup. 507. Richet. in Asion. polit.  
 & Beyers. in Apoph. pag. 186. Plutar. hoc tribuunt.

(z) Covarrub. centur. 3. Embl. 29.

(a) Jacob. Bruck Embl. 33.

Flam-

Flamma vorax veluti depascitur omne quod adstat,  
 Id quoque contingat ne tibi Gnatho, cave.

Quod prudentissimum documentum Janus Gruterus hoc Monosticho Trochaico clausit,

Flamma admota propius, irit: at remota illuminat.

14 Et Syracides quoque comprobatur (b), inquit: Longè abesto ab homine potestatem habente oc-  
 cidendi, & non suspicaberis timorem mortis, & si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè  
 auferat vitam tuam. Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris. Quo indi-  
 cat, levissimam esse Principum offensionem, eamdem cum maximo conjunctam periculo,  
 cum levissimis de causis irasci soleant, & quos propè se, & in summis habebant, facili ne-  
 gotio in ima detrudere. Quo, nihil esse verius, nihil usu regnorum omnium exploratius, ni-  
 hil in annalibus contestatius, satis in superiori commentario probatum reliquimus, & vel so-  
 lo Philotæ exemplo apud Curtium (c) ostendi potest, quem cum Alexander Magnus ex fa-  
 miliaribus, & præcipuis amici unum haberet, arcano ejusdem consilio capite damnatum, pri-  
 die Regia excepit cœna, & familiari colloquio, magna benevolentia simulatione.

15 Idemque consilium, quisquis benè sibi consulere voluerit, ab Horatio discere poterit,  
 dum monet (d):

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,  
 Expertus metuet.

Et à Plinio Junio (e), qui de calamitosis Domitiani temporibus agens, jam sub suo Tra-  
 jano in serenum redactis, ait: Sævissimum illum carnificem, & optimi cujusque spoliatorem,  
 stragibus amicorum, & in proximum quemque ex suis jactò fulmine afflasse.

16 Callisthenem quoque hac de causa admonuit Aristoteles, ut cum Alexandro, aut raro  
 loqueretur, aut jocunda, quod quia observare nescivit, misere ab eo cruciatus, ut jam alibi  
 dixi (f), deperit.

17 Et Plutarchus (g) memorat, quòd cum apud Cræsum moneret Æsopus fabularum Scrip-  
 tor: Cum Regibus, aut quàm minimè, aut quàm jucundissimè colloquendum. Solon hoc dictum  
 hunc in modum retorsit, Non per Jovem, imò potius, aut quàm minimè, aut quàm optimè. Quæ  
 duo sibi contraria monita Janus Gruterus his Monostichis clausit:

Aut Regem non alloquere, aut alloquere suaviter;  
 Aut cum Rege nihil loquendum est, aut loquenda veritas.

18 Extat etiam in rem hanc elegantissimum Thomæ Mori (h), forte jam suam fortunam præ-  
 sagientis, Epigramma, in quemdam, qui se nimis de Regis gratia, facilliquè ad eum aditu &  
 colloquio, jactare solebat, quod sic habet:

Sæpè mihi jactas faciles te ad Principis aures  
 Liberè, & arbitrio ludere sæpè tuo.  
 Sic inter domitos sine noxa sæpè leones  
 Luditur, at noxæ non sine sæpè metu.  
 Infremit incerta crebra indignatio causa,  
 Et subito mors est, qui modo ludus erat.  
 Tuta tibi non est, ut sit secunda voluptas:  
 Magna tibi est, mihi sit, dummodo certa, minor.

19 Quod consilium in se ipso idem Morus in praxim benè & doctè deduxit: nam ut Thomas  
 Stapletonius (i) in ejus vita recenset, cum Episcopus Roffensis ei ad summum Angliæ Cancellaria-  
 riatum evecto, statum, & ordinem in Aula gratulatus esset: In aulam (ait) invitus veni, & in ea-  
 dem non minus malè hæreo, quam quisquam equitandi insolens, hæret in sella: Meminerat nimirum, ut  
 erat lectionis magnæ, illius Lucani (k):

Exeat aula  
 Qui vult esse pius, virtus, & summa potestas  
 Non coeunt, &c.

20 Et insignis Politicus Philippus Cominæus (l), quemdam Franciæ Conestabulum notans, qui  
 im-

(b) Eccles. 9. 18. & seqq.

(c) Curt. lib. 6.

(d) Horat. lib. 1. epist. ad Lolium.

(e) Plin. Jun. in Paneg.

(f) Sup. Embl. 49.

(g) Plut. in Solon. Erasm. ubi sup. pag. 631.

(h) Thom. Mor. in Epigram. pag. mibi 229.

(i) Stapleton. in vita Mori, cap. 7.

(k) Lucan. lib. 8.

(l) Comin. lib.



imprudenter, sui Principis favore elatus, ferè jam hoc spectasse credebatur, ut ab illo timeretur, sic, sub hac occasione, illos qui Principum negotia tractant, sui officii commonefacit: *Mibi, si quis esset apud aliquem Principem amicus, aut propinquus: huic suaserim, ita se comparet, ut periculum tandem, & calamitatem evadant, fieri non potest, ejusque rei multa proferre liceat documenta, non ex Galliis modo, verumetiam ex Hispaniis, & Anglia. Ferè autem fit, ut qui bonam & fidelem operam præstiterunt, arbitrentur sibi aliquanto plus quam aliis licere. Principes contra longè aliter sentiunt, & æquius esse ducunt, ut qui se ipsorum clientelæ, & ministerio tradiderunt, officio fingantur. Memini, quo tempore in hanc sententiam Rex mecum loqueretur, (& suum nominabat Auctorem) affirmans, fieri aliquando, ut egregie operæ minus liberaliter remunerentur, idque non tam ingratitude Principum, quam eorum, qui præstiterunt operam, vitio: dum elati qualiam confidentia propter rem bene administratam, insolenter, & protervè multa faciunt. Aiebat præterea, feliciter agi, sua quidem sententia, cum eo, cui nullo suo magno merito Princeps benefacit, & ut quis beneficio sit obstrictus Principi, id multo præstare, quam ut Princeps clienti, aut famulo alicui suo multum debeat. Eoque ingenio se esse dicebat, ut qui sibi ob aliquam beneficentiam deberent, eos plus diligeret, quam alios, quibus debere se aliquid ipse putaret. Tam est difficile in omni genere, vitæ, accommodare se, & ita genere, ne quid erres. Magnum igitur est Dei beneficium, valere sensu communi, & judicio naturali.*

21 Hactenus Cominæus, cui, si quid est, quod hac in parte addere liceat, illud planè erit, quod ab Ecclesiastico (m) traditur, his verbis nec nimiam, nec valdè remotam ad Principes accessionem, de qua nos loquimur, & aulæ pericula commone: *Advocatus à Potentiore discede: ex hoc enim magis te advocavit. Ne improbus sis, ne impingaris: & ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius, ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogavit te de absconditis tuis. Immittis animus illius conservabit verba tua, & non parcat de malitia, & de vinculis dare tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulat.*

22 Quo in loco Expositores alia adducunt, quibus ad nauseamque nostri Emblematis thema illustrari potest, sed mihi aptissimum videtur illud Cassiodori (n), quo agnoscit, quod *Licet omnia Regum obsequia sub cautela peragenda sunt; illic tanto timoris amplius requiritur, quanto proximus plus habetur. Sic nimiam sublimitatis seu proximitatis periculum indicans. Cum tamen alio (o) loco idem aperit fateatur, Quod penè similis est mortuo, qui à suo dominante nescitur. Nec sub aliquo honore vivit, quem Regis sui notitia non defendit, quia certè munus est videre Principem. In quo nec nimis procul à Principum oculis & notitia esse oportere demonstrat.*

23 Sic ostendens, tam in hoc, quam in aliis, ut Cicero (p) dixit ex mente veteris Academiæ, *Virutes omnes esse quamdam medietatem moderatam. Modumque, juxta Penulum Plauti (q), In omnibus rebus optimum esse habitum, nimiamque omnia nimium exhibere negotium hominibus ex se se. Quia secundum Gregorii (r) Theologi consilium,*

*Omnia summa nocent, sed moderata juvant.*

Quam in rem plura in Adagiis Erasmi (s), & aliorum videri poterunt.

24 Sed nihil ad rem nostram concinius, quam Apollodori carmina apud Henricum Stephanum (t), quæ, ex ejusdem traductione, sic habent,

*Habent per ampla dona Fortuna metum,  
Periculoque non carent prælustria:  
Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus,  
Que evertere, vel invidia, vel tempus solet,  
Felicis culmen, ubi quis attingit,  
At tutior mediocritas in omnibus,  
Neque mente deprimente se ad humum nimis,  
Neque contra in altum se efferente superbius.  
Namque minus alto si quis è gradu cadat,  
Celabitur facile ejus infortunium:  
Ingentis at molis ruina ingens erit.  
Nam rebus obstat invidia præ lustribus,  
Subvertit & fortuna quos evexerit.*

25 Pulcrum etiam Mediocritatis encomium extat apud Horatium (u) sic incipiens, & thema nostrum acu veluti pungens,

*Rectius vives Licini, neque altum*

(m) Eccles. 13. 12. & seqq.

(n) Cassiod. lib. 8. epist. 10.

(o) Idem lib. 5. epist. 25. & lib. 10. epist. 13.

(p) Cicero. in Bruto, cap. 40.

(q) Plaut. in Penul.

(r) Nazianz. 3. sent.

(s) Erasmi in Adag. pag. 506. cum seqq.

(t) Enriq. Steph. in Gnomis, pag. 57.

(u) Horat. lib. 2. od. 10.

Sem-

*Regum calor, quomodo suscipiendus.*

*Semper urgendo, neque dum procellas*

*Cautius horrescis, nimium premendo*

*Litus iniquum.*

*Aream quisquis Mediocritatem*

*Diligit, tutus caret obsoleti*

*Sordibus telli, caret invidenda*

*Sobrius Aula, &c.*

26 Testatur etiam hoc ipsum & Naso (x), dum Phœbum inducit Phaëtonem filium admonentem, ne depressius altiusvè currum agat, ne aut terras, aut cælum comburat, sed inquiens,

*—Medio tutissimus ibis*

*Inter utrumque tene.*

Et iterum (y) de Dædalo agens, simili admonitione volatum filii Icaris coërcentis,

*Instruit & natum: medioque ut limite curras*

*Icare ait, moneo: ne si demissor ibis,*

*Unda gravet penas: si celsior, ignis aurat.*

*Inter utrumque vola.*

27 Ex quibus etiam fabulis, non minus ventustè enarratis, idem documentum Seneca Tragicus (z) eleganter deducit, hoc Epiphonema statim subjungens,

*Quicquid excessit modum,*

*Pendet instabili loco.*

28 Et antea ex navigantium inflatis valdè velis, aliam sumens comparisonem, sic dixerat (a),

*Fata si liceat mihi.*

*Fingere arbitrio meo,*

*Temperem Zephyro levis*

*Vela: ne pressæ gravi*

*Spiritu antennæ tremant.*

*Lene, sed modicum fluens*

*Aura, nec vergens latus,*

*Ducant intrepidam ratem,*

*Tuta me media vebat*

*Vita decurrente via.*

29 Utitur etiam & Naso (b) eadem comparisonem, sic inquit (c),

*Effugit Hybernas demissa antenna procellas,*

*Lataque plus parvis vella timoris habent, &c.*

*Dum Tecum vixi, dum me levis aura ferebat,*

*Hec mea per placidas Cymba cucurrit iter.*

Et in his, & prædicta Icaris fabula indicari scribit Lucianus (c), omnibus ostentionibus Mediocritatem adhibendam, ne, dum nimis alta petimus, decidamus; vel dum cogitationibus inhæremus, nunquam attollamur.



EM-

(x) Ovid. 2. Metam.

(y) Idem lib. 8. Metam. & lib. 8. de art. amand.

(z) Senec. in Hercules Oresteo.

(a) Idem Oedip. act. 4.

(b) Ovid. 3. Trist. eleg. 4.

(c) Lucian. de imagin.